

verit ex hoc pane, vivit eternum. Qui ex illo manducaverunt, mortui sunt, non erat vivificus: qui autem manducat hunc panem, id est me, sive carnem meam, vivet in aeternum. Hic exultant figure, sola realitas asseritur.

S. Leo eodem tempore serm. 6. de jejunio 7. mensis: *Doceat Dominus*, inquit, nisi manducaveritis, sic sacra mensa communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & fruetur ab illis Amen responderetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur. En aperta damnatio Calvinismi.

Hic Patribus annumerandi sunt alii 4. & 5. seculi Optatus Milev. libr. 6. contr. Parmen. S. Basilus I. de Bapt. q. 3. S. Ephrem Sirus I. de Nat. Dei, S. Epiphanius in Ancorato num. 57. S. Greg. Nibenus Orat. Catechetica c. 37. S. Hieronymus, Ep. 1. ad Heliodorum, Ep. 85. ad Evag. & hom. 22. & in ejus vita libr. 2. c. 4.

Augustinus, quem Calvinus libr. 4. Inst. c. 17. §. 48. tam insolenter, quam falso contendit esse suum, libr. 9. Confess. c. 3. de matre sua Monica loquens, dicit: *Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis; non autem figura victimae, sed victima ipsa deletum est chirographum.* L. 2. contr. litt. Petil. c. 37. scribit, Pascha Judaeorum fuisse tyrum Passionis Christi; sed aliud esse quod illi de ovis celebrabant, aliud autem quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus. L. 2. de peccat. meritis c. 26. dicit, Eulogias, quae distribuuntur Catechumenis, esse aliis cibis sanctiores, & sui generis Sacramentum: *quoniam non sit corpus Christi.* L. 12. contr. Faustum c. 10. *Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus Gentibus responderetur, Amen. Hec est clara vox sanguinis, quem sanguis ipse exprimit ex ore fidelium, eodem sanguine redemptorum.* Non autem figura sanguinis, sed ipso sanguine sumus redempti. Tract. 84. *Quae est mensa potentis, nisi unde sumitur corpus, & sanguis ejus, quia animam suam posuit pro nobis?* Missis pluribus aliis, ne longior sim; palmare est, quod scribit S. Doct. Enarrat. 1. in Ps. 33. ubi explicans illud: *Et ferebatur manibus suis*, ostendit id litteraliter non verificari de Davide, sed de Christo: *Manibus* (inquit) *aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus: in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus eius, quando commendatus ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum; ferebatur enim illud corpus in manibus suis. Somniat Calvinus, dum dicit Christum in sensu Augustini se potasse in signo sui corporis conceptum enim terminis Aug. dicit, Christum se potasse eo modo, quo nullus purus homo potest se portare. Quis autem nescit, quemvis hominem posse portare signum, seu figuram sui corporis? Quae opponunt Haeretici ex Aug. proponemus in sol. Ob.*

S. Joannes Damascenus 8. seculo libr. 4. cap. 14. *Quaerit Virgo*, inquit, *quomodo fiet istud. Respondit Gabriel Archangelus: Spiritus S. superveniet in te. Tu quoque nunc quaeris, quomodo panis nunc fiat corpus Christi, & vinum aqua mixtum fiat sanguis Christi? Tibi quoque respondeo: Spiritus S. supervenit, &que efficit, quae orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt. Quod si quaeris, quo facto id fiat, satis tibi sit audire, quod per Spiritum S. id fiat. Quomodo enim ex sancta Dei matre per Spiritum S. Dominus sibi ipsi carnem condidit: nec quicquam amplius verbis perspectum, & exploratum est, quam quod Verbum Dei est verum, & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat, quae nulla ratio humana queat indignare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod, quemadmodum naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis, & comedentis corpus, & sanguinem immutatur; sic panis, & vinum, quae propanantur in altari, per sancti Spiritus invocationem, & adoratum, mirabili modo in Christi corpus, & sanguinem vertuntur. Non aliter loquentur contra Sacramentarios illustres praesentis realis defensores, Petronius, Richelius, Bellarminus, &c.*

S. Anselmus seculo XI. in c. 11. Cor. explicans illud: *Hoc est corpus meum*: ait: *Sensibus quidem exterioribus vi letur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum.* S. Bernardus eodem seculo in vita S. Malaquiae loquens de Clerico: *Sciulus* (inquit) *in oculis suis praesumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodum Sacramentum, & non rem Sacramenti: id est, solam sanctificationem, & non corporis veritatem.* Hi sufficienter qui plures voluerit, adaeq. Controversias. De consensu omnium Ecclesiarum, tam Orientalium quam Occidentalium, vide opus sat notum *Perpetuitatis fidei*, brevius Contenton, Juenin, & alios Recentes, qui ex dicto opere praecipua momenta exscripserunt.

Compendio nunc colligamus, quae huc usque ex Patribus protulimus. Juxta SS. Patres, Eucharistia non est cibus, aut potus communis, neque sola figura carnis, aut sanguinis

Christi, sed vera caro, quae passa est; verus sanguis, qui effusus est. 2. Per verba Christi panis, & vinum transmutantur in corpus, & sanguinem ejus; nulla autem foret transmutatio, si esset tantum figura. 3. In Eucharistia est tam vera caro Christi, quam Christus veram carnem in Incarnatione assumpsit; assumpsit autem veram carnem, & non tantum figuram carnis. 4. Christus ea omnipotentia convertit panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum, qua convertit aquam in vinum, virgam in serpentem, qua Verbum caro factum est, & omnia ex nihilo creavit. Porro aquam in verum vinum convertit, virgam in verum serpentem, veram carnem assumpsit, & entia realia, non figurativa, creavit. 5. Eucharistia est maximum miraculum omnipotentis Dei, intellectu difficile, & quod non judicio sensuum, qui circa illud falluntur, sed sola fide tenendum est; atqui, si panis, & vinum remaneant, sicutque solum signa, & figura carnis, & sanguinis Christi, sensus circa illud non falluntur, eorumque judicio est standum; nec magis est capto difficile, quam quod Agnus Paschalis sit figur. Christi, neque magnum erit omnipotentis misericordiam, cum nulla sit transmutatio, sed sola destinatio Christi, ut panis sit signum, & figura corporis illius.

Fucum faciunt Haeretici, dum respondent miraculum in eo esse, quod sit magna vis, & efficacia hujus Sacramenti ad causandam gratiam. Notum est enim, juxta illorum principia, totam vim, & efficaciam esse in fide, quam excelsit Sacramentum. Insuper SS. Patres miraculum reponunt, non virtute, & efficacia Sacramenti, sed in transmutatione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Item resolvunt dubia fidelium circa hoc Sacramentum, recurendo ad omnipotentiam Dei: dubia vero fidelium non versantur circa virtutem, & efficaciam Sacramenti (parem enim noverant in Baptismo) sed circa praesentiam realem, quae capta est difficilis, & humanis sensibus impervia; quam si certam non habuissent SS. Patres, non recurissent ad omnipotentiam, ut illam assererent, sed dubia facile solvissent, dicendo esse tantum figuram, neque recedendum esse a sensibus, ut dicitur Sacramentarii.

§. VI. Deant momentum ex prescriptione, seu continua possessione.

Hanc jam evincunt, quae huc usque dixi ex Scripturis, Conciliis, & Patribus: at illam nunc probo hoc brevi argumento, quo non leviter torquentur Haeretici. Fides realitatis nata est cum Ecclesia, & semper in illa viguit, ergo est vera. Consequentia est evidens. Prob. Ant. Certa vigeat in Ecclesia tempore Berengarii, quippe quae tota in eum tanquam in novatorem insurrexit: viguit post Berengarium usque ad novos Sacramentarios; & etiamnum viget; neque autem Berengarium assignari potest, quando, ubi, & a quo nata sit: ergo est nata cum Ecclesia, & semper in ea viguit.

Respondet Blondellus, Calvinistarum Pseudo-Minister, Anastasium Sinaitam, id est, monachi Sinai Monachum, circa ann. 636. esse Auctorem sententiae, asserentis in Eucharistia realem Christi praesentiam, eo quod, cum Patres 3. & 4. saeculi Eucharistiam appellaverint *Sacramentum, signum, figuram, imaginem* corporis Christi, ipse hac negaverit, ideoque eum ut novatorem tradidit. Respondet Claudius aliter Minister Calvinista, Paschasium Corbeicensem Monachum, deinde Abbatem circa ann. 818. libro *De corpore, & sanguine Domini*, primum realitatis dogma apud Christianos invexit, quod sensum sine sensu irrepit, & seculo sequenti, quod sceleris, & ignorantiae saeculum vocat, tam altas radices egit, ut Berengarius, qui seculo 11. primariam fidem redintegrare conatus est, tanquam Haereticus sit habitus. Vides, jam alterotrum mentiri. Nec mirum; id enim erroris est proprium, ut suos Sectatores in varias adinventiones abire cogat.

Quantum ad Anastasium Sinaitam, 1. Probandum erat Blondello, Patres 3. & 4. saeculi voces *Sacramentum, signum, figuram* usurpasse in sensu realitatis exclusivo, & non in sensu Catholico, de quo jam supra, & fusi infra, intelligendo tollit figuram, signum, &c. non vacuum, & inane, sed plenum rei significat; quod cum non probet Blondellus, & certum sit ex dictis, SS. Patres non usurpasse has voces *signum, figuram*, &c. in sensu exclusivo realitatis, quo sensu illas negat Anastasius, immerito illum tanquam novitatis reum tradidit.

2. Anastasius dogma realitatis non profert tanquam novum, & in Ecclesia inauditum, sed ut in Ecclesia commune, & receptum, sibi que, & suo adversario Galanite, seu Eutythiano certissimum. Etenim c. 23. libri, quem inscripsit *Dux vite*, supponit tanquam dogma certum inter se, & suum adversarium, corpus Christi esse verum, & substantialiter in Eucharistia, & non in figura tantum, idque concedit Galanite. Ex quo principio, apud utrumque recepto, infer Anastasius, quod sicut corpus Christi in Eucharistia est corruptibile, scilicet in speciebus, etiam erat corruptibile ab initio Incarnationis: ubi, licet obscu-

rum sit, quomodo recte concludat Anastasius, id tamen certum est, principium ex quo concludit, scilicet realitatem corporis Christi in Eucharistia non esse novum dogma, sed quid constanter notum, & receptum. En ejus verba: *Sed dicit mihi, sit, ut Divinitas, ita & corpus Christi ab ipso unione exordio immortalitatem habet, nunc communio sacratissimi corporis, & sanguinis Christi, quem offert, & participas, verum est verum corpus, & sanguis Christi filii Dei, vel nudus panis, qualis ostentim venditur, vel vicem dumtaxat, & figuram gerit corporis Christi, ut Sacrificium hirci quod Judaei offerunt? Respondet Eutythianus: Absit, ut dicamus, sacram Communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus, & sanguinem Christi filii Dei Incarnati, & ex sanctissima Deipara, & semper Virgine Maria nati, verum accipimus. Ex quo principio, ab utroque admisso ut certissimo, concludit Anastasius, ut supra.*

Quantum ad Paschasium, similiter tradit dogma realitatis, seu doctrinam communem totius Beeleae, non tanquam novum, & inauditum dogma, ut contendit Claudius Etenim l. 12. in Matth. *Miror*, inquit, *quod velint nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis, sed in Sacramento virtutem carnis, & non carnis, virtutem sanguinis, & non sanguinem, figuram, & non veritatem, umbram, & non corpus.* Porro, si quid novi dixisset, non esset quod miraretur quosdam ei contradicere, neque dixisset quosdam, sed plures, seu omnes. Et in Ep. ad Freudegardum: *Videat*, inquit, *qui contra hoc venire voluerit, magis quam credere, quid agat contra dominum, & contra OMNEM ECCLESIAM.* Idem quomodo quidam de ignorantia erent, nemo tamen est adhuc in aperto qui hoc ita esse contradicat, quod TOTUS ORBIS credit, & confitetur.

Quantum ad utrumque: si vel Anastasius Graecus, vel Paschasius Latinus contra communem Ecclesiae fidem docuissent, qui fieri potuit, ut tam novum, tam inauditum, tam sensibus repugnans dogma invexissent, nullo sine ex Episcopis, sive ex Doctoribus, sive etiam ex Fidelibus contradicente? Quomodo unus Monachus Graecus totam Ecclesiam Orientalem, vel unus Monachus Latinus totam Ecclesiam Occidentalem sponte contententem contra communem, & avitam fidem in suas partes traxisset, si que nunc ambae Ecclesiae, licet pluribus aliis capitibus inter se dissentientes, communi consensu adhererent? Quando alii Haesiarum, Arius, Nestorius, Eutyches, Pelagius, &c. viri suum diffundere coeperunt, in eos statim insurrexerunt Fideles, Doctores, Episcopi, Concilia congressa, &c. Hic vero unus Monachus novus contra fidem dogmate totam inficit Ecclesiam, & omnes tacent quid dico, tacent omnes errorem, ejurata fide antiqua, avidè ebibunt ac tuerunt, errorique Auctorem gratias, & laudibus prosequeuntur; sic enim Reves, Episcopi, Doctores Paschasium habuerunt post editum librum *De corpore, & sanguine Domini*; & qui voluerit hunc errorem impuginare, ut Berengarius, tanquam Haeretici unanimiter sunt habiti. Hac qui credit, somniantium deliriis pasci delectatur.

Sed quid moramur? Mendacibus Discipulis os verberat Magister eorum Zainelus, qui in commento de vera, & falsa Religione cap. de Eucharistia agnoscit, tempore Augustini invaluissimè opinionem de praesentia realem, & Augustinum non aviam fuisse sensum figurativum palam profiteri: *Vidit*, inquit, *omnino pius homo* (Augustinus) *quid hoc Sacramentum esset, & in quem usum esset institutum; verum invaluerat opinio de corporea carne.* Mendacii pariter redagunt, quaecumque diximus §. praecedentibus, sed maxime definitio Concilii Niceni 2. quod fuit celebratum 30. annis ante Paschasium, & in quo negare non possunt Sacramentarii, asserant fuisse praesentiam realem.

Alterum Claudii figmentum est, 10. saeculum fuisse saeculum sceleris, & ignorantiae. Eo enim saeculo sederunt Romae sanctissimi Pontifices Benedictus IV. Stephanus VIII. Leo VII. Agapetus II. Gregorius V. Floruerunt ex omni ordine viri sanctitate celebres, SS. Odo Mayeulus, & Odilo Abbates Cluniacensium, apud quos vigeat stricta disciplina; S. Romualdus Camaldulensium Institutus, & S. Bonifacius ejus Discipulus, duo Adalberti, alter Magdeburgensis, alter Pragensis Episcopus; S. Dunstanus, & S. Odo Archiepiscopi Cantuarum; S. Dalbertus Archiepiscopus Burgundensis, S. Eduardus Rex Angliae, S. Stephanus Rex Hungariae, S. Funtinus Abbas, S. Gerardus, qui disciplinam regularem in pluribus, & praecipuis Belgii Monasteriis restauravit; S. Henricus Imperator, S. Heriberus Archiepiscopus Colonienis, S. Vincensius Dux Boemiae; & ejus avia Ludmilla Martyres; S. Nilus, S. Uldarius, S. Vitus, S. Wolfgangus, S. Abo, & alii plures. Eodem saeculo, agentibus viri zelo, pietate, & doctrina conspicuis, Dani, Sveci, Lithuani, Hungari, Poloni Religioni Christianae aggregati sunt. Item eodem saeculo scriptis, & eruditione claruerunt, praeter SS. Odonem, & Odonem jam laudatos, Ru-

therius primus Monachus Lobbiensis, deinde Episcopus Veronensis; Fulcinius, & Herigerius ejusdem Oenobii Abbates, Arto Vercellensis, Flodoardus, Luitprandus, Metaphrastes, & alii plures. Sed, etsi domus gratis istud Claudii figmentum: idcirco hoc saeculo delecerat universa Ecclesia, quae est columna veritatis, & contra quam portae inferi numquam praevalerunt?

Opponit Claudius, Paschasium Ep. ad Freudegardum, & in commentario in Matth. se in isto Dogmate Novatorem exhibere; quia 1. locis cit. postulat, ut, si quid reprehensione dignum reperiat in suo libro de corpore, & sanguine Domini, id sibi significet; id autem non postulasset Paschasius, si doctrinam suo tempore communem tradidisset. 2. Quia dicit, se ad intelligentiam hujus Mysterii plures excitasse. 3. Quia asserit quosdam circa hoc Sacramentum ex ignorantia errare, multos dubitare. 4. Patetur, quod fuerit reprehensus a multis statim ac de corpore, & sanguine Domini librum edidit. R. N. Ant. quod nullatenus evincunt momento proposita. Unde ad primum. Paschasius id rogavit Freudegardum non quoad fidem, quam tradebat, sed quoad modum fidei explicandae; familiare est enim Scripitoribus, etiam cum de fidei capitibus tractant, amicorum censuram postulare circa modum dicendi, seriem orationis, vim argumentorum, seu responsonum, & alia. Ad 2. Nomine *Intelligentie* in verbis Paschasii non significatur illa cognitio, omnibus Christianis necessaria, & communis, qua Mysteria lumine fidei simpliciter percipiunt, sed excellentior quaedam notitia, quae Mysteriorum circumstantias, finem, fructus, dispositiones ad illa sequitur. Id aperte indicat S. Odo Abbas loquens de libro Paschasii l. 1. coll. c. 30. & 31. Ad 3. & 4. R. ex his potius evinci, Paschasium non tradidisse nisi Doctrinam communem Ecclesiae. Etenim illi ignorantes, dubitantes, reprehendentes non erant Episcopi, Doctores, Abbates, Presbyteri, apud quos magno honore habebatur Paschasius, & quibuscumque eorum Ecclesiasticis, & synodus adfuit, sed homines obscuro, qui non palam, sed clam obmurmurabant nequidem asserendo contumaciter contrarium, sed dubitando. Id patet ex ejusdem Paschasii verbis in comment. in Matth. *Quomodo* (inquit) *quidam de ignorantia erent, nemo tamen est adhuc in aperto qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit, & confitetur.* Et ad Freudegardum: *Usque ad praesens tempus nemo de his errasse legitur, nisi qui & de Christo erraverunt, quamvis plurimi dubitaverint, vel ignoraverint tantum Mysterii Sacramentum.* Verisimile est igitur, istos affectos fuisse eo modo, quo erat affectus ipse Freudegardus, qui, licet firmissime crederet cum tota Ecclesia realem praesentiam, ex testimonio tamen S. Aug. male intellexit l. 3. de Doctr. Christ. quodam dubio pulsabatur, eo quod non satis attenderet fidem Catholicam credere, praesentiam realem Christi, non secundum modum existendi naturalem, sed sacramentalem.

Reponunt, Rabbanum, Rattrannum, Amalarium, Joannem Scotum Erieganam impugnasse Paschasii librum, quod ipsum exhibet novatorem. R. N. Ant. de Rabbano, Rattranno, & Amalarium. Hi tres enim disertè asserunt realem Christi praesentiam. Rabbanus l. 7. de sacris Ordinibus c. 10. dicit: *Quis unquam crederet, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem, & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit: factus est aliquid ex alio sacre, quam omnia ex nihilo creare.* Quando ergo in Ep. ad Heribaldum dicit: *Quidam nuper de ipso Sacramento corporis, & sanguinis Domini non rite sentientes dixerunt, hoc ipsum corpus, quod de Maria Virgine natum est... idem esse, quod sumitur in altari;* non negat, idem esse quoad substantiam, sed quoad affectiones, quas putabat a Paschasio illi tribui; negat enim tantum, esse in Eucharistia corpus Christi in situ naturali, *nervis ossibusque compactum, membrorum varietate distinctum, propriisque motus exercens.* Unde dicit: *Quae fidelium ore percipiuntur figuram esse secundum speciem visibilem; at vero secundum invisibilem substantiam verum corpus, & sanguinem Christi.*

Quoad Rattrannum, seu Bertrannum Abbatem Orbacensem, qui jussu Caroli Calvi scriptis librum de corpore, & sanguine Domini circa ann. 830. triginta circiter annis post librum Paschasii, quidam ut Genebrardus in Chronologia, & Bellarminus l. 1. de Eucharistia c. 1. Haeretico illum accensent; alii Catholicum illum tuerunt, sed librum ipsi falso impositum contendunt, aut Oecolampadii, qui primus illum publici juris fecit, artibus corruptum fuisse; alii tandem auctorem eum opera orthodoxorum pronuntiant. Ita Trithemius, & Siebertus de Scripitoribus Ecclesiasticis. Et sine a seculo 9. ad 16. seu ad Calvinistas, nemo ipsum reprehendit, quod male scripserit. Nec Catholicis tempore Berengarii ipsi Bertranno proximi eum haeseres insularunt. Nec Berengarius ipsum, ut eius opus in sui erroris patrocinium advocavit, id porro non omisit, si ipsi favisset, sicut opus Joannis Scoti non praeferret in suae haeseres confirmationem. Tandem in Concilio Vercellensi, in quo Berengarius fuit damnatus cum libro Scoti, nec Ber-

tramus, nec ejus opera accusata sunt. Equidem, si attentius spectetur ejus opus, etiam dato non esse vitiatum, videtur posse ab errore vindicari, si, ut prudentia, & charitas dicant, quæ obscuriora protulit, textibus aliis clarioribus explicentur. Manifeste autem Rattmannus asserit realitatem in præfato libro in Resp. ad 1. Quæst. his verbis: *Panis* (inquit) *qui per Sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma præterditur, color ostenditur, sapor accipitur; & interius longe aliud, multoque pretiosius, multoque excellentius intimatur, quia celeste, quia divinum, id est, Christi corpus ostenditur.* Et post alia plura ejusdem sensus, sic concludit: *Ex his omnibus, que hæc tenent dicta sunt, monstratum est, quod corpus, & sanguis Christi, que fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figure sunt secundum speciem visibilem; at verò secundum invisibilem substantiam, id est, divini potentiam Verbi, corpus, & sanguis Christi verè existunt.* Nihil expressius.

Quando ergo dicit quod in Eucharistia sit figura, & quod ore fidelium sumitur, fieri corpus Christi in mysterio, & figura. 2. Quod corpus, natum ex Virgine Maria, non sit id, quod ore fidelium sumitur. 3. Quod secundum creaturarum substantiam, quod fuerat ante consecrationem, remansit. 1. loco non intendit, Eucharistiam esse meram figuram, sed quod species sacramentales sint figuræ corporis, & sanguinis Christi sub eis contentorum, non autem accidentia ipsiusmet corporis, & sanguinis Christi, ut volebant Stercoranistæ, quorum errorem hæc dumtaxat refellit Rattmannus. 2. loco solum intendit, corpus, quod in Eucharistia sumitur, non esse idem eum corpore, quod ex Maria natum est, secundum speciem visibilem, & affectiones. 3. tandem loco intendit, remanere creaturarum substantiam quoad apparentiam. Unde, his non obstantibus, ipsi Magdeburgenses Centuria 9. c. 4. 6. & 8. fatentur, Rattmannum admisisse realitatem, & etiam transsubstantiationis habere semina: *Utitur enim, inquit, vocabulis commutationis, & conversionis.*

Neque Amalarius Abbas Metensis circa idem tempus habendos est impugnatorem Paschali, cum pariter asserit realitatem: libro enim 3. de divinis officiis c. 24. dicit: *Hic credimus, naturam simplicem panis, & vini mixti verti in naturam rationabilem, scilicet, corporis, & sanguinis Christi.* Et in Ep. ad Gunthardum exprobrantem, quod statim post consumptum sacrificium spernet, respondit se id non facere defectu reverentie in corpus Christi, sed quia non posset diu abstinere a sputo. Equidem in eadem Ep. hæc habet, quibus Hæretici volunt ipsum impugnatorem Paschali: *Ita verò sumptum corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter assumatur in celum, an reservetur in corpore nostro usque in diem sepulture, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino: Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: Hæc solum cavendum est, ne Jude corde sumam illud, & ne contemptum habeatur, sed discernatur saluberrimè a communibus cibis.* Quibus perspicillius videant Hæretici in his verbis impugnationem præsentie realis, non assequor, cum illam aperte supponat, & asserat. Ex his tantum colligi potest cum pluribus, Amalarium Stercoranismo innuisse, & Eucharistiam necesse sui noxium opinatum fuisse. Non desunt tamen, qui existimant, Amalarium ita repositionem suam attemperasse, ut Gunthardum ab istis curiosis Quæstionibus revocaret, & ipse nihil hac de re definiret.

Quantum ad Joannem Scotum, fatetur ipsum fuisse suspectæ fidei, & ejus librum de corpore Christi erroribus scaterere: tum quia eo potissimum utebatur Berengarius ad defendendos suos errores; tum testimonio Nicolai Papæ ad Carolum Calvum; tum denique, quia fuit damnatus in Concilio Verulensi. In idem autem ante Berengarium non insurrexit Ecclesia, quia indirectè tantum impetebat Dogma Catholicum, & nullos habebat Sectatores.

§. VII. Momenta a ratione.

Quamvis hoc mysterium omnem sensum, & intellectum humanum superans ratione evincere non possit, suaderi tamen potest quibusdam congruentiis, quas profert Auctor. 1. *(Hic q. 75. art. 1. a.)* Eucharistia in ratione Sacramenti est præstantior Manna, & Agno Paschali: hæc enim erant umbra futurorum Hebr. 10.; atqui, si sit tantum signum, & figura corporis Christi, non erit in ratione Sacramenti præstantior Manna, & Agno Paschali, quia e contra erit inferior: ergo. Probat. Min. Manna, & Agnus Paschalis significantius figurabant Christum, quam panis usualis: Manna quidem, quia erat de caelo, & ope Angelorum fabricata, atque omni sapore condita; Agnus Paschalis ratione carnis, & immolationis: ergo. Neque dicas, Eucharistiam in hoc præstare, 1. Quod Christum præ-

sentem significet, quem ut futurum tantum significabant Manna, & Agnus Paschalis. 2. Quod sit diutius duratura. Ex 7. enim sequitur, quod nunc omnes statue, & imagines, quæ figurant Christum præsentem, præstent Manna, & Agno Paschali, & quod Eucharistia non sit nobilior Baptismo, & aliis Sacramentis, que pariter significant Christum præsentem. Ex 2. sequitur, quod lapis sit dignior homine, quia diutius durat. Dignatio igitur pertinet ad dignitatem tantum accidentalem, non substantialem, de qua hic est quæstio.

2. *(Ib.)* Immensæ Christi charitati, qua pro salute nostra verum naturæ nostræ corpus assumpsit, maxime competebat, ut nos in hac peregrinatione sua præsentia corporali non destitueret, est enim proprium amicitie, ut amici simul convivant, præsertim cum id promississet: *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28.

3. *(Ib.)* Id etiam competebat perfectioni fidei nostræ. Fides enim nostra sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illud Joann. 14. *Credidit in Deum, & in me credit.* Fides autem est invisibiliter: ergo, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita & in hoc Sacramento carnem suam exhibet invisibili modo, ut sit etiam objectum fidei nostræ. Hujus mysterii veritatem, quam hæc usque tot momentis probavimus, innumeris fermè miraculis confirmavit omnipotens misericors Deus: de qua vero omittimus, quia his non movetur Hæretici, sed illa quantumvis probata, & evidentiâ, vel impudenter negant, vel insolenter contemnunt.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

Ex triplici capite occurrunt Hæretici: ex Scriptura, ex Patribus, & ex Ratione.

§. I. Solvuntur objectiones ex Scriptura.

BJ. 1. Contra probationem desumptam ex cap. 6. Joann. Promotionem, quam Christus loco citato facit, dandi suam carnem in cibum, & sanguinem suum in potum, ipsemet ibidem explicat de spirituali manducatione, corrigens errorem Capharnaitarum, & discipulorum intelligentium his verbis: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba, que ego loquor vobis, spiritus, & vita sunt: id est, verba, quæ locutus sum vobis, spiritualiter intelligenda sunt, non de corporali, sed de spirituali manducatione per fidem; juxta illud Aug. super Ps. 98. *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum vobis. Non hoc corpus, quod videtis, manducatur estis, & bibitur illum sanguinem, quem fuseri sunt, qui me crucifigerunt.* Sacramentum ali-quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodest quidquam: ergo. R. Capharnaitæ, ut jam dixi, duo in promissione Christi intellexerunt: primam, realem ejus præsentiam secundum, carnalem manducandi modum, quo caro in frustra dividitur, dentibus pœnitur, ac in stomachum transficit. Primum laudatis verbis non correxit Christus, sed secundum, ut diximus. Et insuper inde patet: quia, si per hæc verba *Caro non prodest quidquam: spiritus est qui vivificat*, priora verba redixisset ad meram manducationem spiritualem per fidem, nihil erat amplius capto difficile, nihil, in quo amplius scandalizarentur Capharnaitæ, & discipuli; atqui tamen his verbis non obstantibus permanserunt in suo scandalo; post hæc enim subdit Evangelista: *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant: ergo manifestum est, Christum per hæc verba non correxisse Capharnaitarum intelligentiam de reali manducatione, & spiritualem dumtaxat per fidem expositulasse.* Cum ergo Aug. dicit: *Non hoc corpus quod videtis, manducatur estis*, non intendit excludere veritatem Corporis Christi, sed quod non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autem, quod subdit, *Sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos*, non intendit, quod corpus Christi sit in hoc Sacramento solum secundum mysticam significationem, sed spiritualiter, id est, invisibiliter, & per virtutem Spiritus S. Unde idem S. Doct. Tract. 27. in Joann. exponens verba Christi Joann. 6. *Caro non prodest quidquam*; sic ait: *Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilanatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Proinde sic dictum est, *caro non prodest quidquam, quomodo dictum est, scientia inflat. Jam ergo debemus ostendere scientiam? absit. Et quid est, scientia inflat? sola sine charitate; & ideo adjungit, charitas verò edificat. Adde ergo scientie charitatem; & utilis erit scientia non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc, caro non prodest quidquam. Accedit spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum; nam si caro non prodesset, verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.**

Inst.

Inst. 1. Aug. l. 3. de Doctr. Christ. c. 16. tradens regulam, qua locutiones Scripturarum figuratæ a non figuratis discernantur, sic ait: *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata: si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis carnem filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur jubere: figura est ergo præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suavitèr atque utilitèr recolendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit: ergo juxta Aug. Christus Joann. 6. non intellexit carnem suam verè & realitèr, sed figuratè manducandam. R. Augustinum, ut patet ex ejus verbis, loqui de manducatione corporis Christi crucienti, quem intelligebat Capharnaitæ; loquitur enim de manducatione, quæ videbatur facinus aut flagitium. Porro manducare carnem Christi realitèr quidem, sed modo invisibili & spirituali, non sonat flagitium aut facinus; bene autem si visibiliter & cruentè manducaretur: verè autem dicit Augustinus, verba Christi hoc ultimo sensu accepta figurata esse, seu esse figuram, non quidem corpus, sed crucifixionis Christi, quatenus is significatur nos debere illi piis meditationibus communicari. Adde, axioma ab Augustino prolatum non esse universalerè verum: alias sequeretur, v. gr. verba Dei præcipiens Abraham sacrificium Isaac, spoliationem Ægyptiorum, destructionem Amalecitarum, &c. esse figurata.*

Inst. 2. Aug. Tract. 16. in c. 6. Joann. dicit: *Ut quid parvas dentes & ventrem? crede, & manducasti.* Similiter multi Patres, Basil. Hieron. & alii exponunt hunc locum Joannis sensu mystico de manducatione spirituali per fidem: ergo. R. juxta Bellarmin. Aug. hæc verba non protulisse de Sacramento, sed de fide Incarnationis, quia nondum pervenerat ad versum 52. ubi, ut notavimus, Evangelista incipit agere de Sacramento. Explicat ergo S. Doct. quomodo Judæi, qui panibus multiplicatis nutriti fuerant in Deserto, debebant alium panem petere, qui non perit, quem seipsum esse dicebat Christus, in quem credere debebant, ut haberent vitam æternam: ad hanc autem fidem non ventre aut dente opus est, sed corde bene disposito. Respondent alii, Aug. ibi commendare manducationem spiritualem, eamque reali præferre; quia spiritualis se sola sufficere potest, nunquam realis sine spirituali.

Ceterum fatetur, S. Aug. & quosdam alios Patres quandoque hunc locum exposuisse sensu mystico de manducatione spirituali; & in nunquam negarunt debere etiam intelligi sensu literali de manducatione orali. Observandum namque est, verba Scripturæ sæpè præter sensum litteralem continere mysticum: qui autem unum profert, non negat alterum. Quamdiu ergo Hæretici non ostendent SS. Patres intelligendo hunc locum sensu mystico, negasse litteralem, nihil efficiunt. Nec mirum, si SS. Patres, præsertim in concionibus & instructionibus publicis sæpius exponerent sensum morale & mysticum, quia Catechumenis, qui addeant, tanti mysterii veritatem aperire nondum conveniebat. Itaque ipse August. Tract. 11. in Joann. in hæc verba: *Jesus non se credebat eis. Tales sunt (inquit) omnes Catechumeni. Ipsi crederentur in nomine Christi, sed Jesus non se credit eis. Intendat & intelligat charitas vestra. Si dixerimus Catechumeno: credidit in Christum? Respondet: credo & signat: ecce credidit in nomine. Interrogemus eum. Manducas carnem Filii hominis, & bibis sanguinem Filii hominis: nescis quid dicimus; quia Jesus non se credit eis.*

Repones. Plures Scriptores Catholicos, ut Nicolaus Gusanus, Ruardus Tapper, Joannes Hesselius, & Cornelius Jansenius Gandensis, contendunt non agi in hoc capite Joannis de Sacramento Eucharistiæ: ergo. R. reverè ita sensisse laudatos Scriptores, ut facilis responderent Hussitis & Lutheranis inferentibus ex illo capite communionem sub utraque specie: at singularis est eorum expositio, iisque opponimus & mysticum Evangelii textum, & SS. Patres, & omnes alios Scholasticos. Sensus autem Scripturæ colligendus est, non ex aliquorum opinione, sed ex communi Patrum & Ecclesiæ intelligentia.

Si inferas: ergo non potest defendi contra Hæreticos usus communicandi sub una tantum specie, si quidem citato capite Joannis habetur expressè *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ergo. R. N. Illationem. Ad Probat. dico, non modum sumendi, sed rem ipsam sumendam cadere sub præcepto. Licet enim verba Legis importent utrumque modum sumendi manducando siliçè & bibendo; mens tamen Legislatoris non fuit obligare nisi ad res ipsas, carnem scilicet & sanguinem sumendas, quæ integrè sumuntur, sive sub una, sive sub duabus speciebus. Hanc autem fuisse Christi mentem probatur. 1. Quia fructus hujus sumptionis non ex modo sumendi, sed ex rebus sumptis oritur. 2. Quia Christus explicans, quod dixe-

rat, ait ibid. nulla facta mentione potis: *Qui manducat me, vivit propter me.* Ex quo patet, idem esse manducare carnem, & bibere sanguinem, ac totum Christum manducando sumere. Ita ferè Bellarm.

Urgebis: Si præceptum istud, *Nisi manducaveritis, &c.* intelligatur de reali manducatione, necessum est perire infantes, qui illud realitèr manducare non possunt: item omnes, qui impediti non manducant realitèr; falsum Consequens: ergo. R. hæc verba præceptiva Christi dirigi ad adultos tantum. Unde non dixit: *Nisi quis manducaverit*, ut dixerat de Baptismo, nisi quis renatus fuerit; sed *nisi manducaveritis*, ubi patet eum alloqui præsentem & eorum similes, qui hujus præcepti sunt capaces. In confirmationem hujus solutionis facit, quod hoc Sacramentum sit ad conservandam vitam, non ad eam primò dandam, sicut Baptismus. Unde est refectio, & non regeneratio: sic intelligitur *To non habebitis vitam in vobis*, id est, non poteritis vitam conservare, quo sensu dicitur 1. Joann. 3. *Omnia homicida non habet vitam in se manentem.* Porro conservatio vitæ non est necessaria iis, qui eam amittere non possunt, quales sunt infantes. Quantum ad adultos, qui impediti non possunt manducare in re, manducant in voto, quod sufficit.

Obj. 2. contra Probationem, desumptam ex verbis institutionis. Scriptura passim usurpat verbum *est* pro *significat* etiam in institutione Sacramentorum: ergo idem est dicendum de Eucharistia. Prob. Ant. 1. Genes 41. *Septem spice plena septem anni ubertatis sunt*, id est, significat. Luc. 8. *Semen est verbum Dei*, id est, significat. 1. Cor. 10. *petra autem erat Christus*, id est, significat. Exod. 12. de Agno Paschali dicitur: *Est enim Phase, id est, transitus Domini*, hoc est, significat transitum Domini. Genes. 17. de Circumcisione sic legitur: *Hoc est pactum meum quod observaveritis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum ubi Ly est sumitur pro significat.* In verbis consecrationis calicis apud Lucam, *hic calix novum Testamentum in meo sanguine*, id est, est signum Testamenti mei. Tandem jussit Christus Eucharistiam perfici in sui memoriam: *Hoc facite*, inquit, *in mei commemorationem*; memoria autem est tantum de re absente, non præsentem: ergo.

Antè Responstionem observandam est 1. quod supra diximus, rem significatam non posse nisi falsò & insulsè affirmari de signo, nisi sit illius signum, vel ex natura rei, vel ex usu aut institutione, aut nisi auditoribus ita innoscat per aliquam explicationem. Observandum 2. Actus interiores, quales sunt pacta, testamenta, &c. solere apud homines explicari per aliquod instrumentum exterius, quod sit signum actus interioris. Observandum 3. ex eo quod in Scriptura verbum *est* quandoque usurpetur pro *significat*, stolidè inferri, quod ita semper, & in presenti materia usurpatur: alioquin dicendum erit cum Soci-nianis sic etiam usurpari in his propositionibus: *Verbum caro factum est. Hic est Filius meus dilectus*, &c. quod negant Calvinistæ. Attendendum est itaque ad subjectam materiam, ad communem usum, communem intelligentiam, & ad varias circumstantias, ut legitimus sensus eruatur. His observationibus positis.

R. ex textibus adductis, & similibus nullatenus probari verbum *est* in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, usurpari pro *significat*; quod expendendo singulos constabit. Unde ad 1. Ipsi referunt somnium: res autem visæ in somniis referuntur non ut res absolutæ, sed ut signa aliarum rerum, idque ita intelligunt, & referens, & audientes: sic, cum Pharo exposit Joseph suum somnium, inquirebat, quid significarent istæ spice plene, quas somnians viderat; & dum Joseph respondit, *esse septem annos ubertatis*, uterque intelligebat juxta legem humanæ locutionis, eas significare septem annos ubertatis. Ad nihil simile in pane respectu corporis Christi. Ad 2. Ex adjunctis satis patet, Apostolum loqui de petra in sensu metaphorico, & spirituali; sic enim dicit: *Bibebant autem de spiritali con-sequentie eos petra: petra autem erat Christus.* Et postea addit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*; quibus aperte indicat, se loqui de petra ut esset signum Christi, seu de petra spirituali, quæ est revera Christus. Iterum nil simile in verbis Eucharisticis. Ad 3. Sensus hujus propositionis; *Agnus Paschalis est Phase, seu transitus Domini*, est proprius, non metaphoricus: quia familiaris est Scripturæ sacræ, ut, cum de Sacrificio, seu victima loquitur, retinet nomen Sacrificii, seu victimæ, & illi substituat id, propter quod Sacrificium, seu victima offertur: sic Sacrificia, seu oblationes, quæ offerebantur pro peccatis in lege veteri, dicebantur peccata: hinc Sacerdotes dicebantur *comedere peccata populi*, id est, oblationes factas pro peccatis. Sic 2. Cor. 5. Christus dicitur *pro nobis factus peccatum*, id est, hostia pro peccato. Similiter ergo dum dicitur: *Agnus Paschalis est Phase; seu transitus Domini*, hoc est, secundum modum familiarem, & notum loquendi Scripturæ, *victima transitus Domini*. Itaque ipse Moyses in eodem cap. vers. 27. exponit his verbis *Et,*

Et cum dixerit vobis Filius vestri: que est ista Religio? Dicitis eis: Victimam transitus Domini est, quando transitit super domos Filiorum Israel in Agypto percussit Agyptos & domos nostras liberans. Dicentur foris Calvinistæ, panem in Eucharistia esse victimam corporis Christi, ut verè dici possit simpliciter, panis est corpus Christi? Ad 4. Falsò supponitur ab Hæreticis, pactum affirmari de Circumcisione; quasi sensus foret, hoc, id est, Circumcisio est pactum meum; sed Circumcisio illæ effertur ut conditio seu signum pacti tantum; ita ut sensus sit: *Hoc est pactum meum, &c.* id est, in eo fœdus seu pactum vobiscum, quod observabitis inter me & vos, sed ea conditione, ut datur sitis omni masculo Circumcisionem, quæ sit sigillum & signum hujus fœderis. Unde versu immediate seq. additur: *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Aliud dato, pactum affirmari simpliciter de Circumcisione, nihilominus communis foret & omnibus nota locutio metaphorica; quia, ut notavimus, actus spiritalis seu interiores, quale est pactum, solent explicari per aliquid exterius, quod sit ejus signum: sic, v. gr. scriptum solet simpliciter dici contractus, seu testamentum, licet sit tantum ejus signum, & hæc communiter intelligunt homines. Id autem dici non potest in hac propositione; *Hoc est enim Corpus meum*: quia Tô hoc, seu panis non est quid spiritale aut interius, quod indigeat & soleat representari per aliquid exterius. Ad 5. Adhibenda est eadem solutio propter eandem rationem. Adde, obscuritatem, si quæ foret in verbis Lucæ, tolli verbis Matthæi & Marci, quibus formam a Christo prolata exprimitur, his scilicet: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, &c.* Ad 6. 1. N. Subsumptum, scilicet non dari memoriam rei præsentis, si nempe res illa non sit subjecta sensibus; sic, v. gr. nihil magis nobis est præsens quam Deus ipse, & tamen sicut sæpè illius obliviscimur, ita & illius sæpè meminimus: similiter de Christo, qui modo invisibiliter continetur in Sacramento Eucharistia. 2. Sensus verborum Christi est: *Hoc facite in memoriam Passionis meæ*: unde Ecclesia canit: *Recollitur memoria Passionis ejus.* Passio Christi autem non erat, nec est præsens.

Inst. Sicut Christus dixit: *Hoc est Corpus meum, Caro mea verè est cibus, &c.* sic dixit Joana. 15. *Ego sum vitis vera; & qui id ultimum debet intelligi in sensu figurativo, seu metaphorico: ergo & primum.* R. N. Conseq. Disparitas est, quòd cum Christus se dixit vitam veram, alia subjunxit, quibus explicatur se locutum fuisse non in sensu proprio, sed metaphorico, sequè comparatè viti quoad quosdam ejus proprietates. Addit enim *Sicut palme non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Nihil autem unquam protulit, quò Eucharistia verba ad sensum figurativum explicari possint, aut debeant.

Urgent Calvinistæ, se etiam ex aliis Scripturæ locis colligere sensum metaphoricum in verbis Eucharistia. Ex iis locis, quibus dicitur Christum non amplius esse in hoc mundo, sed ascendisse in cœlum; sic Joana. 12. legitur: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Joana. 16. *Ego reliquo mundum, &c.* & Act. 3. S. Petrus dicit, cœlum Christum continere usque ad diem Resurrectionis. 2. Christus Matth. 26. Calicem consecratum vocat *genimen vitis.* Et Apost. 1. Cor. 10. dicit: *Patres nostri eandem escam spirituales manducaverunt, & eundem potum biberunt.* Patres autem carnem Christi fide tantum & in figura manducaverunt: ergo R. ex his Scripturæ textibus nusquam posse colligi sensum figurativum in verbis Eucharisticis. Non ex his, qui primo loco referuntur: (Q. 75. art. 1. ad 2.) in iis enim agitur de præsentia Christi visibili, non autem invisibili, qualem habet in Eucharistia: quin imò, se hoc modo fore nobiscum usque ad consummationem sæculi, contestatus est Matth. 28. Non etiam, ex eis, quæ secundo loco proferuntur. Dato enim, quòd de calice consecrato loquatur Matth. (non enim id omnes concedunt ex eo, quòd Lucas duos calices distinguit) hoc inquam dato, nihil inde eruitur pro sensu metaphorico, quia eo sensu dicitur calix consecratus *Genimen vitis*, quo corpus Christi dicitur panis; quia nempe ex vino & pane sunt, & accidentia panis & vini retinent: sic serpens Moysis dicitur virga, quia ex virga factus est. Et iste modus loquendi est Scripturæ familiaris. Ad Apostolum: non dixit patres eandem nobiscum escam manducasse, sed eandem simpliciter, hoc est, eandem inter se manducasse. Unde Aug. l. 2. cont. lit. Petil. c. 37. *Aliud est Pascha, quod illi in ovis celebrarunt; aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Et dato, Apostolum velle Patres & nos eandem escam manducasse, ut alicubi videtur sentire Aug. non tamen eam eodem modo manducavimus. Hi nempe in figura, nos in veritate. Unde & Christus Joana 6. *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducavit hunc panem, vivet in æternum.*

Obj. 3. Id solum est in Eucharistia, quod Christus accepit, benedixit, fregit, & dedit discipulis: *Accipite & manduca-*

te, &c.; atqui, quod Christus accepit, benedixit, &c. erat panis; sic enim narrat Evangelista: *Accipit Jesus panem & benedixit ac fregit deditque discipulis, & ait: ergo. R. 1.* Retorquendo Argumentum. Id solum est in Eucharistia, quod Christus accepit, benedixit, &c. atqui accepit, benedixit, &c. panem usulem & non sacramentalem; quod negant Hæretici. R. 2. D. Min. atqui, quod Christus accepit, benedixit, &c. erat panis, qui remansit panis, N. Min. qui per sequentia verba consecratoria, *Hoc est Corpus meum*, transit in corpus Christi, C. Min. & N. Conseq. Quod ergo Christus accepit, benedixit, &c. fuit panis & corpus Christi successivè, panis quando accepit, &c. Corpus Christi absoluta prolatione horum verborum, *Hoc est Corpus meum.* Quia hæc Christi propositio: *Hoc est Corpus meum*, est practica, qualis fuit ista *fiat lux*, aut foret hæc, *hic liber sit tuus.* In hoc autem differt propositio practica à speculativa, qualis est hæc, v. gr. *Sol lucet*, quòd speculativa supponit suum objectum, non efficiat; practica autem efficit, quòd significat. Unde in propositionibus practica, licet, dum significatio est tantum inchoata & fluens, terminus, à quo fit mutatio, ut in casu panis, adhuc subsistat; ubi tamen significatio est completa, & permanens, terminus à quo est mutatus & conversus in terminum ad quem; qui in casu est corpus Christi.

Inst. 1. Hæc propositio demonstrativa: *Hoc est Corpus meum*, intellecta in sensu proprio, est falsa: ergo. Prob. Ant. Tô hoc in hac propositione intellecta in sensu proprio vel demonstrat panem, vel species panis, vel corpus Christi, nihil aliud est assignabile. Non panem, neque species panis; falsum est enim, quòd panis aut species panis sint corpus Christi: non corpus Christi; quia, ut modò dicebamus, pronuntiata tantum hæc vox, *Hoc*, nondum est corpus Christi, & alioquin hæc propositio non foret practica, sed speculativa, supponens scilicet, non efficiens suum objectum; item foret identica: ergo R. (*Hic* q. 88. art. 1. o.) Tô hoc in hac propositione: *Hoc est Corpus meum*, consideratur pro eo instanti, quo pronunciat, non demonstrare determinatè neque panem, neque species panis, neque corpus Christi, sed confusè & indeterminatè rem aliquam, seu quid commune utrique, panis & corpori Christi scilicet, contentum sub his speciebus. Unde sensus est: hæc res, hoc edulium, hoc, quòd præ manibus habeo, seu contentum sub his speciebus, hæc res panis, nunc est corpus meum. Hic potus, hæc res vinum, est sanguis meus: hic calix est calix sanguinis mei. Ratio est, quia pronomi demonstrativa solitarie posita in subjecto propositionis sine substantivo adjuncto non significant aliquid determinatè, sed generatim & confusè rem aliquam, ut cum dico, hoc est aurum, sensus est, hæc res est aurum. Nec est, quòd vim faciant Hæretici in his argutiis: si enim Christus convertisset aquam in vinum in Cana Galilææ, dicendo, *Hoc est vinum*, demonstrando hydras plenas, quòd indubiè poterat omnipotens, eadem foret questio; ad quam nihil aliud respondere possent Adversarii, quàm hoc quòd respondemus, scilicet, sensum hujus propositionis esse hunc: *Contentum in his hydris est vinum.*

Inst. 2. Apost. 1. Cor. 11. referens verba, *Hoc est Corpus meum*, addit, *quòd pro vobis frangitur.* Et quamvis nostra Vulgata vertat, *Quòd pro vobis tradetur*, in textu Græco tamèn legitur, *Quòd pro vobis frangitur*; atqui corpus Christi naturale non frangitur, sed figura tantum illius, scilicet panis: ergo R. 1. Tempus præsens positum fuisse pro proximo futuro, quòd familiare est, quia tempus proxime futurum censetur moraliter præsens. Unde sensus est, hoc est corpus meum, quòd brevi frangetur in passione, non quidem quoad ossa, sed quoad carnem, quæ fuit lacerata; & idèò vulgatus Interpres vertit *quòd tradetur.* Idque magis evincitur ex eo, quòd Mattheus dicit de sanguine, *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: non autem vinum, sed verus Christi effusus est in remissionem peccatorum, nec tunc effusus, sed postea in Passione. R. 2. Dato, retinendum esse *frangitur* in presentibus, etiam corpus Christi frangitur in Eucharistia multipliciter. 1. *Frangitur* non ratione sui, sed ratione specierum, sub quibus continetur, eodem sensu quòd dicitur manducari, tangi, &c. 2. *Frangitur*, id est, distribuitur, nam phrasi Scripturæ, *Frangere panem* est dare seu distribuere panem. Sic Isai. 58. *Frangere esurienti panem tuum.* Lament. 64. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: frangitur ergo apud Paulum idem significat ac datur apud Lucam. 3. Frangitur* seu immolatur, quatenus vi verborum Consecrationis separatur a sanguine, ut dicemus infra, & idèò immolatur.

Inst. 3. Hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, sunt sacramentalia: ergo sunt signa corporis Christi; Sacramentum enim est in genere signi. R. D. Conseq. ergo sunt signa corporis Christi invisibiliter præsentis, C. absentis, N. Vel sunt signa corporis Christi speculativa tantum, N. Signa practica, C. Verba enim sacramentalia efficiunt, quòd significant; adeòque

que hæc efficiunt corpus Christi præsens, proit illud significant; sicut hæc: *Baptizo te in nomine Patris, &c.* significant, & efficiunt ablationem spiritualem præsentem per gratiam.

Inst. 4. Si Apostoli intellexerint in his Christi verbis sensum obvium, & literalem, non figuratum, turbati fuissent, & explicationem exposulassent; atqui, &c. ergo. R. N. Seguelam; quia ad id præparati erant ex c. 6. Joann. Cætera, quæ opponunt ex Scriptura Sacramentarii, leviora sunt, quàm ut nos diutius detineant.

§ II. Solvuntur objectiones ex Patribus.

Ultra metas huic operi præfixas longius excurrerem, si omnia, quæ ex Patribus contra Dogma Catholicum congerunt Hæterodoxi, & referre, & refellere vellem. Opus contra-ham proponendo Regulas quasdam generales pro vera intelligentia illorum, quæ ex Patribus opponuntur. Prima Regula. Quòd SS. Patres vocant Eucharistiam figuram, similitudinem & imaginem, tyrum, antitypum, speciem, representationem, mysterium, Sacramentum, signum corporis Christi hæc multiplici, & vero sensu intelliguntur absquè detrimento realis præsentia. 1. Dicitur figura, signum, &c. ratione specierum panis, & vini, quæ ex institutione Christi sunt signum, figura, &c. corporis Christi, non absentis, sed præsentis, & sub iis contenti; nihil enim obstat, quin detur signum rei præsentis; sic sanguis, & agritudo sunt signa vitæ præsentis; sed & maxime si res significata non appareat, ut in subjecta materia: sic columba in Baptismo Christi, lingue igneæ die Pentecostes erant figura, & signa Spiritus S. præsentis. Unde de Consecr. D. 2. c. 89. ex Aug. dicitur: *Corpus Christi, quòd sumitur de altari, figura est, dum panis, & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus, & sanguis Christi in veritate interiori creditur.* 2. Eucharistia dicitur figura, signum, &c. ratione totius contenti, quatenus corpus Christi sub speciebus velatum, & vi verborum a sanguine separatum, est signum sui ipsius tùm in cruce immolati, tùm in cœlis revelati, & sanctos beatificantis. Quamvis enim sit idem corpus in Eucharistia, in Cruce, & in Cælo, non est tamen idem status; & sic potest idem sub diversa consideratione esse sui ipsius signum, & figura. 3. Eucharistia quandoquæ dicitur signum, figura, &c. corporis mystici Christi, quòd est Ecclesia, cujus unitas per panem ex multis granis confectum, & per vinum ex multis racemis expressum, representatur, ut explicat Aug. Tract. 26. in Joann.

Secunda Regula. Hoc Sacramentum tam in Patribus, quàm in Scriptura quandoquæ vocatur panis duplici ratione. 1. Ratione accidentium panis, quæ remanet, & sub quibus corpus Christi sensibus obijur. 2. Ratione materie, quæ conversa est in corpus Christi; quò sensu virga Aaron in serpentem conversa vocabatur adhuc virga, Exod. 7. *Devoravit virga Aaron virgas forunt.* Insuper Eucharistia non appellatur panis simpliciter, sed panis cœlestis, panis cœli, panis supersubstantialis, panis de cœlo descendens, panis vivus, panis Angelorum, &c. Tertia Regula. Quòd quidam dicunt, in Eucharistia non esse idem corpus, quòd de virgine Christus assumpsit, in quo mortem subit, resurrexit, ascendit in cœlum, qui loquendi modus fuit frequentior Scripturæ noni sæculi, intelligant non esse idem corpus quoad statum, & affectiones, licet sit idem quoad substantiam, ut explicimus Art. præc. §. VI.

Quarta Regula. Dùm SS. Patres ita commendant manducationem spirituales, ut aliam videantur non admittere, volunt tantum externam, & realem sine spiritali nihil prodesse, ut docet Aug. Tract. 26. in Joann. ubi ait: *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio, nec manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis, & sanguinis Christi: sed magis tante rei Sacramentum ad iudicium sui accedere Sacramenta.*

Quinta Regula. Dùm quidam Patres dicunt, panem benedictum non esse corpus Christi, intelligunt panem ante Consecrationem, vel Enlogias, seu panem benedictum, qui non communicantibus dabatur in signum unionis, & quem Aug. vocat lato sensu Sacramentum.

Sexta Regula. Quòd Patres dicunt, corpora nostra nutriti, augeri, consistere corpore Christi, intelligunt eodem sensu, quò dicitur corpus Christi manducari, tangi, dentibus terri, &c. improprie scilicet, & mediatè ratione specierum, quibus involvitur, & quibus intimè conjungitur, ita quòd rei significatæ nomen signi tribuatur, ut frequens est: vel intelligunt de nutrimento, & augmento corporis non transitorio, quale fit ex communibus cibis, sed de nutrimento, & augmento permanenti, quatenus corpus nostrum ex conjunctione reali cum corpore Christi incorruptionis, & immortalitatis semina recipit.

Septima tandem, & ultima Regula. Si forte quidam antiquiorum Theol. Billuati. Pars Tertia.

res minus accuratè de hac materia scripserint, nihil inde contra catholicum Dogma erui potest: idèò enim strictiori loquendi modo non se adstringebant, quia sciebant se à fidelibus nulla dubitatione pulsatis bono sensu intelligi. Quomodoquæ Aug. libr. 1. contr. Julii. cap. 6. de Chrysostomo loquens, licet in diversa materia, dicit: *Disputans, inquit, in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali questione nullus pulsabatur, vobis nondum flagitibus securus loquebatur.*

Quidam etiam parè, & subterfuge locuti sunt propter disciplinam arcanti, qua in prioribus sæculis sacrationis Religionis Mystera Paganis, Judæis, & Catechumenis occultabantur; tùm quia erant ad illa intelligenda impares, tùm ne ea irridere, & profanarent. Hujus disciplinæ testes sunt Tertull. c. 7. Apolog. *Omnibus Mysteriis, inquit, silentii fides debetur. Et unde extraneis notitia, cum semper etiam pie initiationes arceant profanos?* Orig. libr. 1. contr. Celsum. S. Basilius de Spiritu S. c. 27. S. Cyrillus Hieros. Catech. 6. illuminatorum, ubi ait Ministris Christi multa sæpè loqui obsecrè, seu obscure, ut fideles, qui rem tenent, intelligant; & qui non tenent, non ledantur. S. Cyrillus Alexandr. libr. 7. contr. Jul. Plurima, inquit, de his alla, & vera dicere... nisi profanorum aures metuerem. Chrysost. Hom. in 1. Cor. *Valo quidem aperte dicere: non audeo verò propter eos, qui non sunt initiati; ii enim difficultè nobis faciunt expositionem, ut qui nos cogant, vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare.* Et hom. de Proditorè Judæ Norunt initiati calicem istum: scitis (Catechumeni) intra paucos dies. Epiphani. Hæresi 42. reprehendit Marcionitas, quòd perfecerant Mystera præsentibus Catechumenis; quòd etiam Synodus Alexandrina damnat in Arianis apud Athanasium Apolog. 2. Theodoretus Dialogo 2. introducit Orthodoxum dicentem: *Aperitè dicendum non est; verisimile enim est, adesse aliquos Mysteriis non initiatos.* Reponit Eranistes: *Respondetur enigmata.* Ambros. de Mysteriis, Aug. Tract. 11. in Joann. Ep. 120. nunc 140. serm. 5. de Lucia Jacob, & serm. 132. ex quo istud notum est: *Norunt Fideles, quid recipiant.* Ex his igitur Regulis facile solvet, quæ communis opponuntur ex Patribus. Quapropter, præter ea, quæ jam prævenimus inter probationes §. 4. præcedentis articuli, ea tantum proponam, quæ specialem requirunt solutionem.

Obj. 1. S. Irenæus libr. 4. c. 34. nunc 18. dicit: *Sacrificium non sanctificare hominem, sed conscientia ejus, inquit, quæ offeret, si pura est, sanctificat Sacrificium;* atqui corpus Christi sanctum est; nec habet sanctitatem ab homine: ergo Irenæus non agnoscat ibi corpus Christi. Eodem sermè modo loquitur Origen. in comm. in c. 15. Matth. dicens: *Quòd sanctificatum est per verbum Dei, & orationem; non ex se utentem sanctificat;* atqui si esset corpus Christi in Eucharistia, ex se utentem sanctificaret: ergo R. sensum Irenæi esse, quòd non sanctificet offerentem indispositè, sed quòd conscientia pura sanctificet Sacrificium non absolute in se, sed respectu offerentis, qui fructum spirituales ex eo recipit; agit enim ibi S. Irenæus de dispositionibus requisitis in offerente, ut ejus Sacrificium sit Deo gratum, & sibi utile. Aliud constat ex §. 1. Articuli præced. Irenæum agnosce præsentiam realem. Conser. Ad Origenem R. paritè sensum illius esse Eucharistiam: ex se non sanctificare mentem indebitè dispositam: subiungit enim immediate: *Nam, si ita esset, sanctificaret & illum, qui indignè Dominum comedit, nec ullus propter cibum infirmus factus fuisset, aut imbecillus, aut mortuus. ac proinde in pane Domini utilitas est ei, qui utitur cum intemerata mente, & pura conscientia panis fit particeps.*

Inst. 1. Origenes dicit ibid. *Neque bono aliquo privamur, ex eo, quòd non comedamus de pane, per verbum Dei, & orationem consecrato. neque ex eo, quòd comedamus, bono aliquo abundamus: nam causa privationis malitia est, & peccata, abundantia causa justitia est, & rectè facta;* atqui id esset falsum, si Christus realitè contineretur in Eucharistia: ergo R. sensum Origenis esse, nos non privari aliquo bono ex eo, quòd non comedamus indebitè dispositi, sic enim comedentes peccarem; neque nos abundare aliquo bono, si comedamus indebitè dispositi, quia tunc potius peccamus; secus, si cum debita dispositione accedamus, Patet ex ultimis verbis: *Nam causa privationis, inquit, malitia est, abundantia causa justitia est.* Ad quem sensum distinctè Min. N. Conseq. Cæterum totum hoc argumentum ex Irenæo, & Origenè est ab Hæreticis solvendum, qui magnam vim sanctificandi tribuunt Sacramento.

Inst. 2. Origenes ibid. dicit: *Cibus ipse, per verbum Dei, & orationem consecratus, secundum illud quidem quòd materia constat, in ventrem abit, & in secessum ejicitur:* ergo remanet panis. R. 1. Hoc argumentum in speciem favore Impanatoribus; at non Sacramentariis. R. 2. Cibum hunc secundum Origenem retinere materiam, quia retinet accidentia, quæ corrupta in stomacho abeunt in secessum, aut convertuntur in substantiam aliam. Hæc autem accidentia Origenes vocat materiam multi-

plici titulo. 1. Quia representant sensibus materiam panis. 2. Quia quantitas remanens magis pertinet ad materiam, quam ad formam. 3. Quia habent rationem materiz, non quidem respectu formz substantialis, sed respectu verborum, seu significationis sacramentalis. Verum non est quod nos ita moretur auctoritas Originis, cujus opera, ut omnibus notum est, sive genuina, sive adulterata, sciantur erroribus.

Obj. 2. Ex Aug. S. Doct. l. contr. Adimantum Manichæum c. 12. ait: *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret sui corporis*; ergo juxta Aug. Eucharistia est tantum signum corporis Christi, non corpus ipsum. R. 1. juxta primam Regulam, Eucharistiam secundum species visibiles esse signum corporis Christi, non vacuum, & inane, sed ipso plenum. Hoc signum Christus vocavit corpus suum ex usu, secundum quem nomen rei significat signo tribuitur. Neque dicas cum Alberto, hunc modum loquendi in Aug. *Non dubitavit Dominus dicere*, &c. indicare figuratam locutionem in Christo; nemo enim recte diceret: *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est aurum*, si verum aurum daret; iste namque loquendi modus recte usurpatur, quando res, etsi vera non habet tamen speciem, & modum existendi naturalem, qualem non habet Christus in Eucharistia. Numquam enim Apostoli suspicari fuissent esse sub speciebus panis corpus Christi, nisi ipse dixisset.

R. 2. & fortè conformius ad mentem Aug. ipsum arguere contra Manichæos ex eorum principiis, argumento ut dicunt, ad hominem. Manichæi inter varios errores dicebant, 1. Christum non assumpsisse verum corpus, sed phantasma tantum, & figuram corporis. 2. Legem veterem esse malam, & legi novæ contrariam, quod probant partim ex eo, quod Deut. c. 12. dicitur: *Ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus*. Et e contra lex nova dicit: *Nalite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Quomodo, inquiebat Adimantum, si sanguis est anima, non potest interfector hominis nocere anima, cum tantam habeat in sanguinem ejus potestatem? Huic objectioni duo reponit Aug. 1. Veterem legem loqui de anima bruti; quæ potest dici sita in sanguine; novam autem legem loqui de anima hominis, quæ non est posita in sanguine, sed est immortalis. 2. Sanguinem in veteri lege dici animam, non quod sit vera anima, sed quia animæ signum est; & ita potuisse loqui veterem legem, probat S. Doctor hoc argumento ad hominem: Christus, secundum vos, Manichæi, non habebat verum corpus, sed figuram tantum, signum, & apparitionem corporis; atqui verè dixit: *Hoc est corpus meum*, cum signum tantum daret corporis sui: ergo pariter Deus in veteri lege verè diceret; sanguis est anima, quamvis sit tantum signum animæ. Quod argumentum est peremptorium in principiis Manichæorum.

Inst. 1. Aug. Ep. 98. ad Bonif. aliàs 23. dicit, Eucharistiam esse corpus Christi, secundum quemdam modum: ergo non verè, & substantialiter. R. N. Conseq. Ideo enim dixit Aug. Eucharistiam esse corpus Christi secundum quemdam modum, non ut excluderet ejus præsentiam substantialem, sed quia Eucharistia secundum aliquam sui partem, scilicet secundum species visibiles, non est propriè, & substantialiter corpus Christi, sed tantum secundum quemdam modum, nempe denominativè, quatenus nomen rei significatè tribuitur ejus signo, idque conformiter suo scopo; vult enim ibi ostendere, infantes posse dici credere, seu esse fideles, quia suscipiunt Sacramentum Fidei, nempe Baptismum, quod dicitur Fides, tribuendo signo nomen rei significatè; sicut Eucharistia secundum speciem exteriorem dicitur corpus Christi, quia illud significat. Aliunde Aug. non semel similem loquendi modum usurpat absque eo, quod excludat rei veritatem: sic Ep. 137. aliàs 3. ad Volus. dicit: *Verbum divinum voluisse suscipere hominem, & cum illo uniri quodam modo*; non quod intendat negare veram unionem hypostaticam, sed declarare, quod ex pluribus modis unionis hunc elegerit. Sic Epist. 166. ad Hieron. aliàs 28. dicit, animam hominis esse secundum quemdam modum immortalem; non quod neget eam esse verè immortalem, & attendat ejus naturam, sed quia attendat divinam omnipotentiam potest anihillari. Ità in nostro casu proportione servata.

Inst. 2. Juxta Aug. ibid. sic se habet Sacramentum Corporis Christi ad ipsum ejus corpus, sicut Sacramentum Fidei, scilicet Baptisma ad Fidem; atqui Sacramentum Fidei non est tempè signum Fidei actualis: ergo Sacramentum corporis Christi non est signum corporis Christi præsentis. R. D. Maj. Sic se habet, &c. quoad aliud, C. quoad omnia, N. Comparationes enim non fiunt quoad omnia, alioquin non foret comparatio, sed identitas inter comparata; sed sufficit, quod teneant in aliquibus. In hoc autem tenet comparatio Augustini; quod, sicut Sacramentum corporis Christi dicitur corpus Christi, nomine rei significatè accommodato signo, ita Sacramentum Fidei

dicitur Fides, & idè infantes baptizati possunt appellari fideles; de quo solo erat quæstio proposita a Bonifacio, & idè non erat ejus instituti illic explicare, quomodo Sacramentum Eucharistia esset signum Christi, à præsentis, vel absentis.

Inst. 3. Aug. Ep. 205. aliàs 146. ad Consentium dubitat, an corpus Christi gloriosum in celo habeat sanguinem: ergo eertò non credit, vinum in Eucharistiam converti in sanguinem Christi. R. D. Ant. Dubitat, an corpus Christi gloriosum in celo habeat sanguinem secundum substantiam, N. secundum qualitates, & humores, quas habuit in terra, & ex quibus, ut potè contrariis, posset quibusdam videri corruptibile, C. de hoc enim solum interrogabatur a Consensio, cui nihil hac de re affirmare voluit, nec daretur occasio quibusdam inferendi corpus Christi esse corruptibile. Undè subdit: *Sed quodlibet corpus addat, corruptionem addere caveat*. Cæterum, Augustinum aperit cognoscere in Eucharistia verum, & substantialem sanguinem Christi, constat ex §. 5. præcedentis Artic. Cætera, quæ obijciuntur ex Aug. require §. præsentis Artic.

Obj. 3. Ex Facundo Hermianensi libr. 9. ultimo, ubi excusatur Theodorum Mopsuestenum, qui dixerat Christum assumpsisse adoptionem filiorum, ait, id non debere cenferi Hæreticum; quia Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, quando circumcisus est, & baptizatus, & potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis, & sanguinis ejus, quod est in pane, & poculo consecrato corpus ejus, & sanguis dicitur, non quod propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus, & sanguinis continent: ergo. R. 1. Et opus, & Auctorem levis esse ponderis. Opus, quia anni. dumtaxat 1629. ex uno codice manuscriptorum prodit in lucem, sique vel scribi, vel adulterari facile potuit a Sacramentariis. Et esto opus verè sit Facundi, & non adulteratum, nullius ponderis potest esse in rebus fidei Auctor, qui animo schismatico, & in SS. Pontifices Vigilium, & Pelagium exacerbato, trium Capitulum defensionem pertinaciter suscepit: Schismati namque vicinus est error. Sed esto iterum, admittendum etiam esse Auctorem, R. 2. verè Facundum dixisse Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sumendo Sacramentum pro ipsis speciebus, non esse propriè corpus, & sanguinem Christi, sed denominativè tantum, eo modo quo signa nomine rerum, quas significant, appellari solent. Ex quo inferit, quod, quia Christus baptizatus, & circumcisus Sacramentum adoptionis suscepit, possit dici suscepisse adoptionem; quia, si species, quæ sunt signum, & Sacramentum corporis Christi, possunt dici corpus Christi, ita Baptismus, & Circumcisio, quæ sunt signa adoptionis, possunt dici adoptio.

Obj. 4. Si dogma præsentie realis fuisse in prioribus Ecclesiæ sæculis constanter, & communiter receptum, Paganis in illud tanquam in figmentum absurdum, & ridiculum insurrexissent, sicut insurgent in Mysterium Trinitatis, & Incarnationis; atqui tamen altum est apud Paganos de illo Mysterio silentium: ergo. R. N. Sequelam Maj. Quia propter disciplinam Arcani, de qua in ultima Regula, non erat pervulgatum apud Paganos hoc Mysterium. Hanc enim disciplinam attentè servabant in Concionibus publicis, quibus adesse poterant Ethnici, itè & omnes, qui scribebant Apologias pro Religione, Tertull. Athenagoras, Minutius Felix, Arnobius, Lactantius, excepto uno Justino Martyre, qui ejus explicationem duxit necessariam, ut crimen infanticidii, de quo accusabant Christiani, propulsaret.

Inst. Qui apostatabant a Religione, poterant hoc Mysterium Paganis revelare, & omaino verisimile est eos revelasse. Ipse Julianus Apostata apprimè illud noverat, & tamen in suis contra Religionem scriptis de illo silet: ergo. R. equidem fuisse aliquam apud Paganos hujus Mysterii cognitionem, & inde famosa illa criminis infanticidii accusatio, de qua omnes Apologizæ, quos modò laudavimus; sed quia illa cognitio erat confusa, & obscura, & neque modum, quo Christus est in Eucharistia, neque manducationis modum attingebat, nihil ulterius objiciebant Paganis, sed tantum dubitantes indagabant, ut Maximus Mandurensis apud Aug. Ep. 16. aliàs 43. incertus & dubius inquirat: *Quis est iste Deus, quem vobis Christiani quasi proprium vindicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis?* Et ipse Aug. libr. 20. contr. Faust. c. 13. ex illa confusa, & perturbata Mysteriorum nostrorum apud Paganos notitia scribit: *Nomullos existimasse, apud Christianos Cerevrem, & Liberum coli*.

Quantum ad Julianum, insertum est, àn & quid scripserit contra Eucharistiam, quia in tribus libris, quos composuit contra Religionem, unus tantum superest apud S. Cyrillum Alex. qui illum confutavit, testaturque se multa in eo recessisse, forte quæ spectabant hoc Mysterium, nec cogeret illud Genitibus prodere. Alia quædam, quæ obijciuntur ex Patribus, require §. 5. Articuli præced.

§. III. Solvuntur objectiones a Ratione.

Objiciunt Hæretici, Dogma præsentie realis in multis repugnare rationi: ut quod idem corpus sit simul in pluribus locis, quod sit sine quantitate, sine partibus, & modo indivisibili, quod accidentia sint sine subjecto, & plura alia, quæ videntur ipsis contradictoria. At his omnibus sit generalis responsio, in Mysteriis fidei non rationem, sed fidem ipsam esse consulendam, alioquin ipsimet objicientes deberent negare cum Socinianis Mysteria Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis mortuorum, &c. quæ non videntur minis rationi repugnare, quam Mysterium Eucharistia. Neque enim minis difficile concepitur, unam naturam indivisibilem subsistere in tribus personis realiter distinctis, & idem corpus toties in diversis formas transmutatum resurgere, quam idem corpus esse sacramentaliter in pluribus hostiis: non minis difficile, inquam, concepitur, quod natura completa privetur sua substantia, & personæ aliena, quam quod accidentia existent sine subjecto: & sic de cæteris: Quæro itaque, cur Calvinista credat Christo, dicenti: *Ego sum Filius Dei. Ego & Pater unum sumus*, & non credat eidem dicenti: *Hoc est Corpus meum?* Reclamat, inquit ratio. An non pariter reclamat in prioribus? Melius dixisset reclamarè videtur. Captivandum est itaque intellectus in obsequium fidei, & eertò tenendum Deum omnipotentem posse plus facere, quam possit mens humana concipere, nisi velis finitum esse omnipotentiam, sicut finitus est conceptus humanus; idque non solum in supernaturalibus, sed etiam in ipsis naturalibus obviis. Quis enim austerè audeat se eertò assequi, quomodo sol emittat radios, quomodo anima uniat corpori, quomodo sentiat, quæ sit causa fluxus, & refluxus maris, quomodo arbor crescat in sylva, lilium in agro, cæpe in horto, & sexcenta alia? quis ergo poterit insrutabilia Dei scrutari, qui in naturalibus cœcunt?

Igitur superbi objicientes dicant humiliter cum August. Ep. 137. aliàs 3. ad Volus. Dandum, Deum aliquid posse, quod fateamur nos investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia subjuncti. Dicant cum Chrysost. hom. 83. in Matth. *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicitur in omnibus rebus, sed præcipue in Mysteriis factamus, non illa, quæ ante nos jacent, solummodo aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes: nam verbis illius defraudari non possumus, sensus verò noster decepti facillimus est. Quoniam ergo ille dixit: *Hoc est corpus meum, nulla dubitatione teneamus, sed credamus*. Et ut exemplum domesticum eis proponamus; dicant cum suo Auctore Calvino libr. 4. Inst. c. 17. §. 1. 7. & 10. ubi postquam dixit, hoc Sacramentum esse maximum arcantum Spiritus sancti, incomprehensibile, incredibile, indecibile, inexcogitabile: subiungit: *Quod ergo mens nostra non comprehendit, concepiat fides Spiritum verè unire, quæ locis distincta sunt. Hæc, inquam, dicant, & simul reflectant se in Synodo Marpurgensi anni 1519. & Carontoni anni 1631. Lutherani exhibuisse communionem, nulla facta hæresis abjuracione. Qua fronte ergo contendunt, dogma realis præsentie, quod tenent nobiscum Lutherani, adversari fidei, & rationi? Quo pudore nos tanquam Idololatrias, & absconis in eo credendo traducant? Hic iterum possemus. At ne tela hostium formidare videamur, pauca de singulis dicemus. Itaque**

Obj. 1. Implicat idem corpus esse simul in pluribus locis; atqui Christus est in celo: ergo non est in altari. Ante responsum notandum, aliquid posse esse in loco triplici modo; scilicet circumscriptivè, definitivè, & sacramentaliter. Corpus esse in loco circumscriptivè est ita commensurari loco ratione propriæ quantitatis, & ab eo circumscribi, ut totum sit in toto loco, & singulæ ejus partes in singulis partibus loci. Hoc modum meum corpus est in hoc loco, & corpus Christi in celo. Aliquid esse in loco definitivè est ita esse in hoc loco, ut non sit alibi, totum quidem in toto loco, & totum in qualibet parte loci. Hic modus existendi est proprius spiritibus, v. gr. anime meæ, quæ est ita in meo corpore, ut non sit alibi; & cum sit indivisibilis, tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte: sic de Angelis. Esse in loco sacramentaliter est ille modus, quo Christus existit in Eucharistia, in qua est modo indivisibilis, substantialis, & supernaturali totus in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ, & instar substantiæ spiritualis: in quo iste modus convenit cum definitivè, sed in hoc differt, quod ubi sacramentale non ita determinat corpus Christi ad essendum in uno loco, quod non possit esse in alio, sicut fit per ubi definitivum. His præmissis.

R. D. Maj. (Elic. q. 75. art. 1. ad 7.) Implicat idem corpus esse simul in pluribus locis circumscriptivè, Transit Maj. in uno loco circumscriptivè, & in aliis sacramentaliter, N. Maj. Disparitas est, quod, multiplicata locutione circumscriptiva, non

remaneat eadem quantitas, nec idem corpus, secus multiplicata præsentia sacramentali. Ratio est; quia locatio, seu præsentia circumscriptiva desumitur a quantitate, cujus est formalis effectus secundarius. Undè non potest multiplicari relatio circumscriptiva, nisi multiplicetur quantitas, partim quia effectus formalis etiam secundarius non potest multiplicari non multiplicata forma, cum sit ipsa forma secundario communicata: partim quia quantitas locans circumscriptivè simul in pluribus locis esset extensa localiter, idè quæ se divisa, & discontinuata, proinde non una sed multiplex; multiplicata autem quantitate non remanet idem corpus, quod a quantitate individuat, & unitatem numericam habet. At verò ratio constitutiva Christi sub speciebus sacramentalibus non est quantitas, quæ ibi est per concomitantiam tantum, nec extensa localiter, sed conversio passiva panis in ipsum corpus Christi, quæ multiplicatur juxta multiplicationem consecrationis; & cum non conferat unitatem corpori Christi, sicut quantitas, quantumvis multiplicetur, non idè multiplicatur corpus, sed idem remanet. Et hinc solvuntur inconvenientia, quæ oppositi solent.

Dixi: *Transseat Major*; quia, quamvis Thomistæ cum S. Thom. illam concedant, negant tamen Scotistæ, & quidam alii, contenduntque idem corpus posse supernaturaliter esse simul in pluribus locis circumscriptivè. At hæc quæstio impertinens est ad præsentem difficultatem, quia ut rectè ait P. Nicolai in Scholii ad art. 5. q. 76. *Cum illo modo existendi (circumscriptivè) nihil commune habet modus proprius, quo Christus est singulariter in Sacramento, nec ipsædem, ac ille incommodis est obnoxius; puta, ut corpus Christi dicitur simul esse supra se ac infra se, simul dextrorsum sibi, ac sinistrorsum; sic ille omnino necesse est in corporibus localiter extensis contingere; præter plures antilogias, vel contradictiones inde necessariè consequentes, ut quod simul sedere idem corpus, ac stare possit, vel quiescere simul, & moveri, & similia, cum nihil tale modus corporis Christi patiatur. Undè Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. dicitur: *Nec hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in calis assideat juxta modum existendi naturalis, & in multis nihilominus aliis locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit*.*

Inst. 1. Si esset simul corpus Christi in celo, & in altari, etiam sacramentaliter tantum, esset a se divisum: ergo non remaneret idem. Prob. Arg. Inter ipsum in celo, & ipsum in altari mediarent plura corpora: ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. Ant. Ad mediationem enim propriè dictam requiritur, quod corpus medium sit contiguum extremis, seu illa secundum extremitates tangat; quod non fit respectu corporis Christi, modo spiritualis, & indivisibilis existentis in Eucharistia, sed respectu specierum tantum.

Inst. 2. Corpus Christi in celo non foret continuum cum ipso in altari, sed ab eo distans: ergo a se divisum. R. D. Ant. Foret distans secundum diversos modos existendi, C. secundum entitatem, N. Hæc enim foret eadem.

Inst. 3. Corpus Christi in celo circumscribitur, & terminatur a suo loco: ergo non potest extrà illum existere. R. D. Conseq. Ergo non potest extrà illum existere secundum communem rationem, secundum quam circumscribitur in celo, id est, secundum quantitatem localiter extensam, C. secundum substantiam ex conversione panis in illam, ratione cujus non circumscribitur, nec terminatur a loco in altari, N. Brevius, Non potest esse extrà illum circumscriptivè, C. sacramentaliter, N. Hæc, fateor, transcendunt imaginationem; quia, ut alicubi dicit Auctor, imaginatio non transcendit continuum; corrigenda est ergo imaginatio per fidem & rationem.

Inst. 4. Idem corpus non potest simul existere in pluribus temporibus: ergo, nec in pluribus locis. R. N. Conseq. Disparitas est, quod plura loca possint existere simul, plura verò tempora, præteritum, præsens, futurum, non possunt existere simul, quia de ratione temporis est, quod sit successivum. Undè solum præsens existit.

Inferes. Ergo verum est dicere de odem corpore Christi in diversis locis, manducatur, & non manducatur, existit & desinit existere, quæ sunt contradictoria. R. neque corpus Christi propriè manducari, neque desinere existere, sed species manducantur, & desinunt: seu, si mavis, Corpus Christi manducatur sub his speciebus, & desinit sub his speciebus. Undè absque contradictione dici potest: manducatur sub istis speciebus, & non manducatur sub aliis speciebus; desinit sub istis speciebus, & non desinit sub aliis speciebus; hæc enim non sunt contradictoria, quia contradictoria sunt de uno, & eodem subjecto sub eadem ratione.

Obj. 2. Corpus non potest esse sine quantitate; atqui corpus Christi foret in Eucharistia sine quantitate: ergo. R. Posset negari Maj. Quia quantitas non est essentialis corpori, sed ejus proprietates tantum, potest autem proprietates divinius sepa-